Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0001-3

(a)
genauer prüfen
f

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0002-9

Ad

ACTUM ORATORIO-VALEDICTORIUM

D. 26. Mart. 1706.

In Acroaterio Torgenſi

Hora I. pomeridiana
habendum

Excellentiſſimi nobiliſſimiqve DOMINI

DOMINI

Scholæ Mœcenates atqve Patroni

cæteriqve Muſarum Fautores
honoratiſſimi

Officioſiſſime invitantur
à

M. GODFR. STEINBRECHERO

Rectore.

TORGÆ
Literis JOH. ZACH. HEMPL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0003-4

Diu multumqve deliberatum fuit, qvænam Auctores claſſicos feliciter & cum fructu pertractandi methodus omnium ſit optima. Ad meam de ingredienda & ſuſcipienda ſtudiorum & Auctorum inprimis, tractandorum ratione, ſententiam qvod attinet, ſaluti diſcentium optime conſultum eſſe, ipſa me docuit experientia: Si cuivis lectioni, anteqvam illius vel explicandæ vel diſcendæ initium fit, præmittatur nervoſa σκιαγραφία ſeu ARGUMENTUM; huic autem annectatur juſta analyſis & diſpoſitio, deinde accurata EXPLICATIO & deniqve verborum rerumqve, modo per epiſtolas, modo per chrias, ad ſtyli & oratoriæ culturam pariter ac Locorum, qvos dicunt, communium ſeriem faciens APPLICATIO; cumqve per integrum annum & docentium & diſcentium ordo lectionibus, paucis admodum exceptis, profanis & vitiorum malorumqve paſſim exemplorum ſentina ſcatentibus immerſus ſit: omnino neceſſarium erit, é qvavis lectione eruiſſe conſectaria, ad mores informandos, emendandos juxta ac vitam bene honeſteqve tranſigendam pertinentia, imprimis cum cuivis Scholarum gregi immixtum, unum itemqve alterum ſcelus ſit ac pecus morbidum, cujus corrigendi ſanandiqve occaſionem bonæ fidei Præceptor prætermittit nullam. Qvamvis autem lectionibus, ea, qvam dixi, methodo pertractatis & ſacris & profanis feliciſſimus ſucceſſus non defuerit; cum tamen & σκιαγραφίαν & diſpoſitionem & applicationem in ſingulas lectiones vel dictitaſſe vel tradidiſſe res magni & laboris & temporis eſt: ego & temporis lucrandi & ſalutis diſcentium felicius promovendæ rationem habiturus, meas in qvosdam auctores claſſicos, lucubrationes in hominum manus dare, & inprimis ab aureo Ciceronis, de Officiis qvem ſcripſit, libello (*ejusqve Capite L. I. quarto, quinto &c. utpote quorum ad ductum Actus Oratorius habendus eſt*) auſpicaturus, eruditorum judicio ſubjicere conſtitueram qvandam de meo inſtituto σκιαγραφίαν, ſub titulo:

Specimen in tres M. T. Ciceronis libros de officiis, Analytico-Diſpoſitorio-Paraphraſtico-Ethico-Politico-Oratorio-Poriſmaticum.

Ubi ſingulis capitibus præmiſſum eſt Argumentum ſeu Contenta totius capitis una cum ejusdem Diſpoſitione annexa & in margine capitis

in

in paragraphos diviſi, annotata; Textui autem inſpergitur nervoſa paraphraſis ſeu explicatio, diverſis literis & diſtinctionibus expreſſa, deniqve cuivis Textus paragrapho ſubſternuntur Conſectaria & Moralia, qvæ è Textu eruta ordine oratorio poſita ſunt & amplificata. Et qvanqvam hoc, qvod dixi, ſpecimen, loco Programmatis, Actui huic valedictorio præmittendi, cum nobiliſſimis Scholæ noſtræ Inſpectoribus ac Patronis communicare animus erat; cum tamen omnes officinæ typographicæ, inſtantibus nundinis Lipſienſibus, Scriptis prelo ſubjiciendis obrutæ ſint, ac proinde Bibliopola, ſæpius dictum Specimen, hodie mihi remiſerit; ego per temporis paginæqve anguſtiam, Orationum habendarum delineationem & amplificationem è Cap. IV. & V. L. I. Offic. analyſi, diſpoſitione, paraphraſi & annexis conſectariis, ſua ſponte fluentem in hoc Programmate adumbrare volui, qva ex re facile conjectu eſt Perorantibus elaborationem Orationum longe faciliorem fuiſſe, ſi Specimen impreſſum una cum Conſectariis in conſilium adjumentumqve adhibendi copiam habuiſſent, interim ipſorum ut bonæ indolis ac ſpei nec parum à probitatis ac modeſtiæ laude commendandorum diſcipulorum adhibitam in elaboratis orationibus induſtriam laudo proboqve, è qvibus:

I. JOHANN GEORGIUS BAUERUS, Torgenſis commendabit

PRUDENTIAM.

è *cap. IV. & V.* ex qvibus per ſe fluit Diſpoſitio hæc:

Exordium è loco Oppoſitorum: à dementia, deceptione *è §. 2. Cap. V.* Exordii

Amplificatio. 1) per argumenta *explicantia:* qvid ſit labi, errare neſcire, decipi. *conf. §. 2. Cap. V.*

2) per *probantia:* qvia inſcium eſſe, eſt contra naturam hominis: qvippe qvi natura trahitur & ducitur ad cognitionis cupiditatem. *l. c.*

1) per *illuſtrantia:* homo cujus in animo cupiditas ſciendi ſepulta jacet, tantum ſenſu, inſtar bruti movetur, haud abſimilis horologio, motus ſui neſcio, *è Cap. III. §. 3. 4.*

Connexio cum Propoſitione At vero qvantum dedecus damnumqve eſt labi, errare &c. tanto majori in pretio ac laude habetur prudentia rerumqve notitia. Qvamobrem de Prudentia dicturus es,

Partitio. tam de ejusdem præſtantia, qvam vario officio.

Captatio Benevolentiæ, à materiæ proferendæ dignitate, utilitate & neceſſitate.

Tractatio I. Partis, qvæ eſt prudentiæ præſtantia, hanc deduces p. à definitione prudentiæ vid. Argument. & §. 1. Cap. V p. ab objecto, qvod eſt veritas tam theoretica qvam practica, *vid. §. 4. ejusqve Conſectar. 1. & 2. Cap. IV.*

p. a fine: eſt cupiditas ſciendi, *§. 2. Cap. V. ejusqve Conſectariis 1. 2. 3, & 4.*

p. a diſtributione ſ. partibus prudentiæ, qvæ ſunt ſapientia ſcientia & ſolertia, hanc α) deſcribes *e. §. I. Cap. IV.* β) diſcrimen ab aſtuta ſolertia oſtendes *e. §. 9.-15. Cap. IX. 1.* ubi illuſtratio ab exemplis eſt &c.

Pars II. Officium qvintuplex prudentiæ, qvo de vid. Diſp. Cap. V. una cum Amplificatione, è conſectariis petenda.

Concluſio ſ. Applicatio de prudentiæ laude ſectanda per Argumenta:

1) *ſua-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0005-5

1) *Suadentia* tum ab honeſto : qvia (1) homo ſapientia præditus accedit ad ſimilitudinem Dei. *Vid. Conſectar. IV. e. §. 1. 2. Cap. V.* (2) qvia hominis propria eſt veri inveſtigatio. *§. 9. Cap. III.* (3) qvia (à turpi) otium ſine literis mors eſt & vivi hominis ſepultura. *Sen. Epiſt. 82. Conf. §, 1. 2. Cap. V.* &c. tum ab utili, jucundo neceſſario &c. *Confer. Conſectaria.*

2) *Commoventia* ab affectu

Partim ſpei : beata respublica ſi Philoſophi imperant aut imperatores philoſophantur, ait ex Platone M. Antoninus Philoſophus. ô te beatum, ſi in ſcientiis excellas!

p. odii & metus: homo inſulſus nullo loco numeroqve habetur.

p. Miſericordiæ : homini tali qvid optes, niſi Deos faciles, mentemqve meliorem. *Plaut.*

p. deſperationis : qvia homo literarum ſtudiis dicatus qvidem, ſed ſtudiis frigide tractatis, tandem libellos lorica mutare, cogitur.

II. GODFRIDUS OBENAUSSIUS, Saathaynenſis Miſn.

Alteram virtutem cardinalem *JUSTITIAM* una cum ejusdem Oppoſito, perſeqvetur. *è Cap. VI. VII. ſeq.*

III. CHRISTIAN. GODHELF PARSFELD, Belgrâ-Miſn.

De juſtitiæ generalioris, utpote virtutis cardinalis altera parte, nimirum *Liberalitate ſ. beneficentia* verba facturus eſt *è Cap. XIV. ſeq.*

IV. GEORGIUS REINHOLD SCHUBARTUS, Glaubizâ-Miſn.

De cauſa ad benignitatem impellente, h. e. *GRATITUDINE*, *Cap. XV.* dicturus, mentem inprimis gratiſſimam ſuo & una in Academiam abiturientium nomine, comprobabit. Tantum! Dab. Torgaviæ VIII. Calend. April. M. DCCVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0006-1

78 M 437

ULB Halle 3
001 515 276

TA → OL
kein Rest.
nur 51. Stck verknüpft bisher

ld 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0007-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0008-2

30

Ad

ACTUM ORATORIO-VALE-DICTORIUM

D. 26. Mart. 1706.

…terio Torgenſi

…I. pomeridiana

…habendum

…obiliſſimiqve DOMINI

…OMINI

…nates atqve Patroni

…Muſarum Fautores

…noratiſſimi

…ſſime invitantur

…à

…TEINBRECHERO

…Rectore.

…ORGÆ

…oh. Zach. Hempel.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476354-p0009-1